ant, donec ad mellis conſiſtentiam peruenerint, auferatur ab igne, vbi refrigeratum fuerit, lapideſcat, quod in fruſta ruptum vitro anguſtiſsimi oris indatur, quod cera diligenter obturetur, & loco ſicco reſeruetur.

alias medicamentum liqueſcit. Aqua autem ſiue lixiuium prædictum, quod capitellum chyrurgi vocant, ſic paratur:

℞. *Calcis viuæ, ſalis ammoniaci, an. ℔. i.*

trita indantur lixiuio. Deinde ſimul indantur ollæ perforatæ in fundo, cui aliud ſubiiciatur, in quod lixiuium paulatim defluat & excipiatur. Vas vtrumque per ſeptem dies defodi debet in fimo. Ex hoc lixiuio addito ſeuo aut adipe fit ſapo.

Efficacius erit capitellum, ſi ad parandum lixiuium cum ſcapis fabaceis radices bryoniæ, cyclamini quoque vrantur. Quod ſi vero opium addere velimus, vt nonnulli faciunt, quo minor dolor cauſſetur, tum hoc pacto parabitur:

℞. *Lixiui prædicti ℔. j.*

bulliat ad conſumptionem tertiæ partis, adde calcis viuæ. ℥. ß.

opii ʒ ii.

coquantur rurſus, tum adde auripigmenti ʒ ii.

fiat maſsa.

Vel hoc pacto:

℞. *Aquæ primæ ſaponis ℔. i. ß.*

vitrioli, nitri, ſalis ammoniaci an. ℥. ß.

diſſoluenda diſſoluentur in lixiuio prædicto, coquantur in teſta ad luti conſiſtentiam.